

aliis Sacramentis; non etiam secundum, quia hæc gratia sæpè Ordinariorum negligentia amittitur. Idcirco Timotheum hortatur Apostolus, ut gratiam sibi manuum impositione datam minimè negligat. *Pendens nos enim est illam, vel extinguere, vel accendere*, ait S. Chrysostomus (Homil. 1. in. 2. Epist. ad Timoth. n. 2. Edit. BB. tom. 11. pag. 661.) Superest igitur ut Sacramentum Ordinis perpetuo maneat ratione characteris quem animæ ita imprimit, ut deleri nunquam possit. Ad eum effectum spectant Patrum decreta quibus, ne iterentur sacræ Ordinationes, toties vetitum est.

Hinc Concilium Tridentinum sic pronuntiat: *Si quis dixerit per sacram Ordinationem . . . non imprimi characterem, vel eum qui semel Sacerdos fuit, Laicum rursus fieri posse, anathema sit.* (Sess. 33. de Ordine, can. 4.)

CAPUT VII.

De Cælibatu sacris Ordinibus annexo.

Hic variæ quæstiones occurrunt excutiendæ; prima de Latine, secunda de Græcæ Ecclesiæ circa sacrorum Ministrorum cælibatum, disciplinâ veteri & novâ; tertia quâ lege, divinâ, an humanâ, præceptus fuerit cælibatus; quarta, utrùm ea lex sapienter instituta fuerit.



ARTICULUS PRIMUS.

De Ecclesiæ Latine circa sacrorum Ministrorum cælibatum disciplinâ.

1°. In Ecclesiâ Latina semper prohibitum fuit ne Episcopi, Presbyteri & Diaconi, aut uxores post Ordinationem ducerent, aut ante ipsam ductis uterentur: cujus rei fidem faciunt innumera SS. Patrum, Conciliorum, summorumque Pontificum testimonia; sed pauca tantum seligere jubet brevis. Siricius Papa anno 395 sic testatur: *Sacerdotes omnes atque Levitæ, (sive Diaconi) insolubili lege constringimur, ut à die Ordinationis nostræ, . . . pudicitia & corda nostra mancipemus & corpora, ut per omnia Deo nostro, in his quæ quotidie offerimus sacrificiis, placeamus.* (Tom. 2. Concil. pag. 1020.)

S. Hieronymus, *Episcopi, inquit, Presbyteri, Diaconi, aut virgines eliguntur, aut vidui, aut certe post Sacerdotium in æternum pudici.* (Ep. 30. advers. Jovinian. tom. 4. part. 2. pag. 242.) Concilium Wormatiense an. 868: *Placuit ut Episcopi, Presbyteri, Diaconi & Subdiaconi abstineant se ab uxoribus.* (Cap. 9. tom. 8. Concil. pag. 948.) Synodus Augustana an. 952: *Episcopus, Presbyter, Diaconus, Subdiaconus, ut in multis Conciliis firmatum est, quia divina ministeria contrecant, ab uxoribus abstineant.* (Cap. 11. tom. 9. Concil. pag. 637.) Si varias perlustraveris Latinorum Ecclesias, eandem de servanda continentia Episcopis, Presbyteris & Diaconis legem constantem impositam reperies.

2°. Primis sæculis non unam & eandem fuisse Ecclesiæ Latine de Subdiaconorum continentia disciplinam, satis probat antiquorum Canonum discrepantia, quorum alii usum matrimonii ante

Ordinationem initi Subdiaconis penitus interdunt; alii verò permittunt: cum autem Subdiaconatus sacris & maioribus Ordinibus annumerari cœpit, quod post annum millesimum contigit, tunc Subdiaconi perpetuæ continentia additi sunt, eaque lex ubique obtinuit, ut constat ex Conciliis in Ecclesia Occidentali ab eo tempore celebratis. Quam legem sic confirmat Synodus Tridentina: *Si quis dixerit Clericos in sacris Ordinibus constitutos... posse matrimonium contrahere, contrahendumque validum esse, anathema sit. (Sess. 24. de Matrimonio, can. 9.)*

ARTICULUS II.

De veteri & nova Ecclesiæ Græcæ disciplina circa sacrorum Ministrorum continentiam.

Quæstionem hanc non parùm obscuram faciunt diversæ & oppositæ leges: ad eam autem, quantum fieri potest, dilucidè explicandam, multiplex afferendum est responsum.

1^o. Aliquando & alicubi licitum fuit Diaconis, uxores post Ordinationem ducere, cum suam ante consecrationem significarent se continentiam servare non posse: sic enim statuit Synodus Ancyrana an. 314: *Diaconi quicumque Ordinantur, si in ipsa Ordinatione protestati sunt, & dixerunt velle se conjugio copulari, quia sic (id est, cælibes) manere non possunt; hi, si postmodum uxores duxerint, in ministerio maneat, propterea quòd Episcopus eis licentiam dederit: quicumque sanè tacerint & susceperint manûs impositionem, professi continentiam, & postea nuptiis obligati sunt, à ministerio cessare debent. (Can. 9. tom. I. Concil. pag. 1467.)* Diximus autem aliquando & alicubi, quia nec semper, nec ubique obtinuit hæc disciplina, ut ex modo dicendis constabit.

2^o. Hanc fuisse antiquitus communem Ecclesiæ Græcæ disciplinam, ut Ministri sacri ab uxoribus ante Ordinationem ductis abstinerent, rectè colligitur ex plurimis veterum Græciæ Scriptorum testimoniis: *Videtur mihi, inquit Origenes, quòd illius solius est offerre sacrificium indefinens, qui indefinenti & perpetuæ se devoverit castitati. (Homil. 23. in Num. n. 3. tom. 2. pag. 358. col. 2.)* Eos, ait Eusebius, qui sacrati sunt, atque in Dei ministerio cultuque occupati, continere deinceps à commercio uxoris decet. (*Lib. I. demonstrat. Evangelicæ, cap. 9. pag. 33.*) S. Chrysostomus, Episcopus, inquit, uxorem habentem, quasi non haberet, versari oportet. (*Homil. 10. in 1. Tim. cap. 3. n. 1. tom. II. pag. 599. Edit. BB.*) S. Epiphanius testatur *Sacro-sanctam Dei Ecclesiam ad Diaconi, Presbyteri, Episcopi, aut Subdiaconi Ordinem, eum duntaxat admittere qui ab unius uxoris consuetudine sese continuerit, aut eã sit orbatus, quod in illis locis præcipuè fit, ubi Ecclesiastici Canones accuratè servantur. (Hæres. 59. n. 4. tom. I. pag. 496.)*

Deinde S. Doctor sibi objicit eorum exemplum qui, licet Subdiaconi, Diaconi, & Presbyteri, ab uxoribus suis non abstinebant, respondetque *illud non ex Canonis autoritate fieri, sed propter hominum ignaviam quæ certis temporibus negligente agere, ac connivere solet.*

3^o. Trullana Synodus anni 692 prohibuit, ne Episcopi Græci uxores ante Ordinationem ductas retineant, aut cum iis aliquid habeant commercii. Sic enim statuit: *Ad nostram cognitionem pervenit, quòd... quidam... Præsules cum propriis uxoribus, etiam postquam ad eos processit Ordinatio, unà habitare non recusant; ex eo populis offendiculum & scandalum offerentes.... Si quis autem tale quid agere deprehensus fuerit, deponatur. (Can. 12. tom. 6. Concil. pag. 1148.)* Ea lex apud Græcos etiamnum viget.

4^o. Per eandem Synodum Trullanam Sacerdotibus, aliisque Ministris inferioribus licitum est, uxores ante Ordinationem legitimè ductas retinere, ipsisque uti: sic enim declarat: *Si quis dignus inventus fuerit, qui Subdiaconus, vel Diaconus, vel Presbyter Ordinetur, is ad talem gradum assumi nequaquam prohibeatur, si cum legitima uxore cohabitet; sed neque Ordinationis tempore ab eo postuletur, ut profiteatur se à legitima cum uxore consuetudine absenturum, ne ex eo à Deo constitutas, & suâ presentia benedictas nuptias injuriâ afficere cogamur.* (Ibid. Can. 13.) En famosum Canonem qui apud Græcos in usu est. Licet Ecclesiæ Romanæ non parùm displiceat, hæc tamen Ministros Græcos rei uxoriæ operam dantes patienter toleravit, quia nimirum intellexit continentiam non esse Clericis divinâ lege impositam.

ARTICULUS III.

Quâ Lege sacri Ministri perpetuæ continentia fuerint additi.

Circa quæstionem hanc tres sunt Catholicorum opiniones; alii continentia legem divinam esse contendunt; alii sententiam hanc ita temperant, ut velint jure divino prohiberi quidem sacros Ministros, ne uxores post Ordinationem ducant, minimè verò ne utantur matrimonio ante Ordinationem celebrato; alii denique existimant hanc legem esse merè ecclesiasticam, ac proindè mutationi obnoxiam: quæ opinio longè communior est.

PROPOSITIO.

Lex cælibatus sacris Ministris imposita, merè Ecclesiastica est.

Probatur 1^o. ex Concilio Tridentino cujus hæc sunt verba: *Si quis dixerit Clericos in sacris Ordinibus constitutos, ... posse matrimonium contrahere, contractumque validum esse, non obstante lege Ecclesiastica, ... anathema sit.* (Sess. 24. de Matrimonio, can. 9.) Ibi sancta Synodus Ecclesiasticam tantum legem allegat: atqui procul dubio divinum de continentia Clericorum mandatum non prætermisisset, si quod extare credidisset; ergo, &c.

Prob. 2^o. Si continentia legem ab ipso Deo sacris Ministris impositam esse persuasum habuisset Ecclesia Latina, Græcorum contrariâ disciplinâ utentium errorem non tolerasset; ubi enim de violato jure divino agitur, nullus est indulgentiæ locus: atqui tamen Clericos Græcos, quamvis ab usu matrimonii non abstineant, jam inde à pluribus sæculis tolerat Ecclesia Latina; nam quotiès de concilianda pace in Conciliis actum fuit, nunquam à Presbyteris Græcis postulatum est, ut matrimonio legitimè celebrato non uterentur; ergo, &c.

Dices: Apostolus dotes Episcopo necessarias sic describit: *Oportet Episcopum sine crimine esse, non superbum, non iracundum, ... sobrium, justum, continentem.* (Tit. 1. v. 7 & 8.) Eadem est itaque continentia necessitas, ac sobrietatis, justitiæ, lenitatis; siquidem hæc omnia simul præcipiuntur: atqui sobrietas, justitia, lenitas Episcopo necessariae sunt ex jure divino; ergo & continentia.

Resp. Neg. maj. Ubi enim multa simul imperantur, non idcirco ejusdem sunt necessitatis, eodemque jure præcepta. Id liquet ex decreto Apostolico, ubi sic legitur: *Visum est Spiritui Sancto, & nobis, nihil ultra imponere vobis oneris, quam hæc neces-*

saria, ut abstineatis vos ab immolatis simulacrorum, & sanguine, & suffocato, & fornicatione. (Act. 15. v. 28 & 29.) Atqui nemo dixerit ex eadem necessitate, eodemque jure fidelibus abstinendum fuisse à suffocato & fornicatione; alterum enim jure tantum Ecclesiastico, alterum autem lege naturali & divinâ prohibetur.

ARTICULUS IV.

Utrum Ecclesiastica perpetuæ continentiae Lex sapienter instituta fuerit.

Hic nobis pugnandum est cum Pseudo-Reformatis, qui ecclesiasticam de perpetua continentia legem Clericis impositam protervè redarguunt & infestantur, velut injustam, tyrannicam, nuptiis, verbo Dei, & ipsi naturæ injuriosam, idcirco Ministris sacris uxores ducere licitum esse contendunt; contra quos sit

PROPOSITIO.

Perpetuæ continentiae Lex sacris Ministris imposita, sapientiae & aequitati consentanea est.

Probatur. Ea lex tum sapientiae, tum aequitati consentanea est, quæ ab autoritate legitima proficitur; quæ rem bonam præcipit, & gravem ob causam constituta est: atqui tres illas conditiones conjunctas habet perpetuæ continentiae lex majoribus Clericis imposita. 1º. Quidem ab autoritate legitimâ prodiit; ab Ecclesia enim lata est: atqui Ecclesia legitimam, à Deo nempe acceptam, habet autoritatem leges faciendi, quibus suos Ministros obstringat, & conditiones apponendi quas observare teneantur qui ad Clericatum sese offerunt; quemadmodum & Princeps à Deo jus

habet, ea Magistratibus præscribendi quæ communi bono conducere existimat; ergo, 1º. &c.

2º. Eadem lex rem bonam præcipit: calibatus enim ab Ecclesia præceptus spontaneum est sacrificium, quo voluptates carnis usumque matrimonii aliquis prorsus abjicit, ut sacri ministerii officii dignius fungatur, purius liberisque divino cultui sese devoteat: atqui id esse optimum & sanctissimum, nemo sapiens & religiosus negaverit; ergo, 2º. &c.

3º. Propter gravem causam ea lex constituta est: maximi quippè momenti est Ministrorum sanctitati consulere, & ea remove quæ obeundis, ut par est, sacris functionibus impedimentum non leve afferunt: atqui ad eum finem spectat continentiae lex, cui majores Clericos subjicit Ecclesia; ipsorum est enim Sacramenta administrare, verbum Dei prædicare, corpus Christi conficere, orationi bonisque operibus vacare: porro tot tamque grandia munera totum hominem sibi vindicant, animumque postulant à curis sæcularibus liberum; quo sensu dictum est ab Apostolo: *Nemo militans Deo, implicat se negotiis sæcularibus. (2. Tim. 2. 4.)* Atqui inter curas & sollicitudines temporales, quæ hominis animum turbare ac distrahere solent, eæ maximæ sunt quas matrimonii nexus importat, ut quotidie experiuntur testanturque patres familias; ab iis autem incommodis & impedimentis per continentiae legem sibi constitutam sacri Ministri liberantur; ergo 3º. non sine gravi causâ fuit sancita: aliundè verò rem bonam præcipit, & ab autoritate legitima manavit; ergo sapientiae & aequitati maximè est consentanea.

Et verò, si Apostolus fideles, etiam laicos, hortatur, ut ex mutuo consensu ad tempus ab usu matrimonii abstineant, sicque liberis orationi vacent, (1. Cor. 7.) *Multò magis*, ait Innocentius I, *Sacerdotes quibus & orandi, & sacrificandi jure officium est, semper debebunt ab hujusmodi*

confortio abstinere. (*Epist. 3. ad Exuperium, cap. I. tom. 2. Concil. pag. 1254.*)

Solvuntur objecta.

Objicies 1^o. Ea lex mala est quæ præcepto divino opponitur : atqui perpetuæ continentiae lex Ecclesiastica præcepto divino opponitur, isti nempe : *Crescite & multiplicamini*; (*Genes. 1. 28.*) quibus verbis Deus omnibus matrimonium præcipit; ergo, &c.

Resp. Neg. min. 1^o. Quia præfata Scripturæ verba non præceptum nubendi significant, sed benedictionem & fecunditatem generi humano à Deo impertitam, quâ in perpetuum propagaretur. De brutis enim animantibus quibus, ut potè rationis expertibus, præceptum fieri nequit, pariter ibidem dicit Scriptura : *Benedixitque eis (Deus) dicens : Crescite & multiplicamini.*

2^o. Quia etiamsi in prædictis Dei verbis verum agnosceretur præceptum, non ad singulos homines, sed ad totam universam speciem pertineret : alioqui Deo creatori contrarius esset Christus, dum eos laudat qui spontè à nuptiis sese continuerint; (*Matth. 19. 12.*) sacrilegus etiam foret Apostolus, & violatæ legis divinæ reus, cum virginittatis perpetuè servandæ consilium dederit, eamque matrimonio prætulerit : *Qui matrimonio, inquit, jungit virginem suam, benè facit; & qui non jungit, meliùs facit.* (*I. Cor. 7. 38.*)

Obj. 2^o. Apostolus vult Episcopum & Presbyterum esse *unius uxoris virum*; (*I. Tim. 3. 2. & Tit. 1. 6.*) ergo conjugium, etiam majoribus Clericis, necessarium existimavit.

Resp. Neg. conseq. Hoc enim unum significare voluit Apostolus, scilicèt eum nec Episcopum, nec Presbyterum esse consecrandum, qui ad secundas nuptias convolaverit, quia conjugia repetita vehementioris concupiscentiæ suspicionem præ se ferunt : nusquam verò docuit Apostolus neminem

ad Episcopatum vel Presbyteratum esse promovendum, nisi unam uxorem matrimonio sibi conjunctam habeat; alioqui propriam suam hanc legem ipse violasset: se enim cælibem profiteretur, omnemque ejusmodi esse optabat : *Volo enim omnes vos esse sicut meipsum.* (*I. Cor. 7. 7.*) Ceteri etiam Apostoli, teste S. Hieronymo, vel virgines fuere, vel post nuptias, continentes. (*Epist. 30. advers. Jovinian. tom. 4. part. 2. pag. 242.*) Non possunt igitur Pseudo-Reformati Apostolum incontinentiæ patronum facere, nisi ipsius verba miserè torquendo.

Obj. 3^o. Usus matrimonii cum sacris ministerii functionibus confociarunt Apostoli, sic testante Paulo : *Numquid non habemus potestatem mulierem sororem circumducendi, sicut & ceteri Apostoli, & fratres Domini, & Cephas?* (*I. Cor. 9. 5.*) Ergo matrimonii usus non debuit majoribus Clericis interdicti.

Resp. Neg. ant. Non Apostolis enim tantum, sed & ipsi Christo in terris peregrinanti, sanctæ quædam mulieres sese comites adjunxerunt, quæ ministrabant ei de facultatibus suis : (*Luc. 8. 3.*) atqui nefas esset inde colligere, Christum matrimonii usum non refugisse; pariter igitur ex eo quòd Apostoli mulieres circumduxerint, concludere non licet eos matrimonii consuetudinem habuisse. Præterea Apostolos omnes, si unum excipias Petrum, uxoribus semper caruisse, communis est Patrum doctrina. Denique esto suæ Apostolis fuerint conjuges, nihilominus certum est eos suis uxoribus nuntium remisisse, ut Christum sequerentur. Id constat ex istis S. Petri ad Christum verbis : *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te.* (*Matth. 19. 27.*)

Quasdam igitur mulieres circumducebant Apostoli, non tanquam uxores, sed veluti sorores, ut fert ipsemet textus objectus; istæ nimirum ex pio in Apostolos & Evangelium affectu eos sequebantur, ut iis quæ ad victum necessaria erant submi-

nistrarent. Loquitur Apostolus, ait S. Hieronymus, de sanctis mulieribus quæ juxta morem Judaicum (ex quo proinde nullum erat scandali periculum) Magistris de sua substantia ministrabant, sicut legitur ipsi quoque Domino factitatum. (Lib. 1. contra Jovinian. tom. 4. part. 3. pag. 167.)

Obj. 4°. Ea lex injusta est quæ rem jubet impossibilem: atqui ita se habet perpetuæ continentiæ lex, majoribus Clericis imposita; ut satis probant tot illicitæ libidines, in quas erumpit natura conjugii remedio fraudata; ergo, &c.

Resp. Neg. min. Numquid enim rei impossibili vitam æternam promittit Christus, cum interroganti Petro: *Ecce relinimus omnia, & secuti sumus te, quid ergo erit nobis?* respondit: *Amen dico vobis, ... omnis qui reliquerit ... uxorem propter nomen meum ... vitam æternam possidebit?* (Matth. 19. v. 27 & 29.) Numquid rem impossibilem suadebat Apostolus, cum optaret omnes esse sui similes, nempe virginitatis cultores? Numquid impossibile dici potest, quod ab innumeris hominibus factitatum legitur? Atqui continentia perpetuò servatæ insignia & propè numero infinita exempla in Ecclesiasticis annalibus occurrunt: quot enim ibi reperias Monachos, Virgines, Episcopos, Presbyteros, &c. imò & Laicos, qui incorruptæ castitatis laude floruerunt, feliciterque experti sunt quod Deus Paulo dixerat: *Sufficit tibi gratia mea non virtus in infirmitate perficitur!* (2. Cor. 12. 9.)

Nequicquam autem Hæretici contraria obtrudunt Clericorum exempla, qui suæ professionis immemores, infami libidine, gravissimisque scandalis Ecclesiam non semel affixerunt: nemo enim sanus legem aliquam, vel injustam, vel impossibilem idèò putaverit, quod à multis violetur: alioqui damnanda erit lex quælibet, tum divina, tum humana; cum nulla sit quam sæpè sæpius infringere non audeat hominum perversitas.



TRACTATUS

DE

IRREGULARITATIBUS.

IRREGULARIS dicitur qui extra regulam est, sive qui dotes à regula pro suscipiendis Ordinibus, vel eorum functionibus exercendis præscriptas non habet: unde *irregularitas* defini potest: *impedimentum canonicum, quo efficitur aliquis inhabilis ad Ordines licitè recipiendos, vel ad eorum, si recepti fuerint, functiones obeundas.*

Dicitur autem 1°. *impedimentum*, non verò poena, sicque distinguitur à censura quæ non nisi propter culpam infligenda est, ideòque poenæ rationem habet. *Irregularitas* autem aliquando citra ullum delictum contrahitur, sed propter aliquod corporis vitium.

2°. *Canonicum*, quia locum non habet nisi in casibus jure canonico expressis. Quapropter Bonifacius VIII eum qui in Ecclesia polluta celebravit, licet peccaverit, irregularitati tamen non esse obnoxium declarat, cum id non sit expressum in jure. (In sexto, tit. 11. cap. 18.)

3°. *Ad Ordines suscipiendos*, quâ voce intelliguntur Ordines, tum strictè dicti, tum latè, qualis est prima tonsura. (Cap. ult. de temp. Ordin. in sexto.)